SERMO

patienter audiret. si adhuc diceretur demonium habere
qui dictum est ei. qui non solum homines saluabat. sed et
demonibus imperabat. Hoc enim cum dixissent iudei; Non
ne bene dicimus nos. quia samaritanus es et demonium
habes. horum duorum sibi obiectorum. unum negauit alterum
non negauit; Respondit enim et ait, Ego demonium non ha
beo. non dixit non sum samaritanus; Et utique duo fuerant
obiecta quamuis maledictum maledicto non redderet, quam
uis conuicium non conuicio refutauerit. pertinuit tamen
ad eum negare unum. et alterum non negare, non frustra. Sa
maritanus quippe interpretatur custos. nouerat se ille nostrum esse custodem.
Non enim dormit. neque dormitat. qui custodit israhel,
Et Nisi dominus custodierit ciuitatem. In uanum uigilabunt. qui cus
todiunt, Est ergo ille custos noster. qui creator noster, Non
enim pertinuit ad eum ut redimeremur. et non pertineret ut ser
uaremur, denique ut plenius noueritis misterium. quare
se samaritanum negare non debuit. parabulam illam no
tissimam adtendite. ubi homo quidam discendebat ab ieru
salem in hiericho. et incidit in latrones. qui eum grauiter uul
neratum semiuiuum in uia reliquerunt; Transiuit sa
cerdos. neglexit eum, Transiuit leuita. et ipse praeteriuit,
Transiuit samaritanus quidam. ipse est custos noster
ipse accessit ad saucium. ipse impendit misericordiam.
et quem se praestitit proximum quem non deputauit alienum;
Ad hoc ergo solum quod demonium non haberet. Non autem
se samaritanum non esse respondit, deinde post tale conuicium.
hoc solum dixit de gloria sua, Sed honorifico inquid patrem
meum. et uos inhonoratis me. Hoc est ergo non me hono
rifico ne uobis arrogans uidear. habeo quem honorificem.
sed si uos me agnosceretis. sicut ego honorifico patrem. sic
et uos honorificaretis me, Ego facio. quod debeo. uos non fa
citis quod debetis; Ego autem inquid non quero gloriam meam.
est qui querat et iudicet, quem uult intellegi nisi patrem.
quomodo ego alio loco dicit. pater non iudicat quemquam.

© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/bav/bav_pal_lat_207/0150